

MARRASIO (Giovanni)

ANGELINETUM (258 vers)

## AD LEONARDUM ARRETINUM IN ANGELINETUM. PRAEFATIO.

A\_1 v.1 Hunc, Leonarde, tuo volui obsignare libellum  
 2 nomine, quo titulus luceat ipse magis.  
 3 Si quoi dandus honos Grai pariterque Latini  
 4 eloquii et quicquid laudis in orbe fuit,  
 5 si quoi debetur fama immortalis avorum,  
 6 Arretine, tibi gloria prima manet.  
 7 Effingis priscos nimia gravitate parentes  
 8 et superas veteres tu probitate viros.  
 9 Non solum dicant tibi se debere Latini,  
 10 verum etiam Argolici teque tuosque colant.  
 11 Non minus in Graium conversus sermo Latinus  
 12 quam Graium per te lingua Latina tenet.  
 13 Eloquitur lepida ac ornata voce Latinus  
 14 factus Aristoteles : barbarus ante fuit.  
 15 Punica bella diu tot in annis mortua vivunt,  
 16 Rex Cicero vivit non moriturque Plato.  
 17 Quid recitem libros te traduxisse Pelasgos  
 18 innumeros, totidem et composuisse novos ?  
 19 Italiae lumen, per te venere Camenae  
 20 Ad Latium, per te dicta vetusta placent.  
 21 Indulgere velis nostro, Arretine, furori,  
 22 sive sit ille furor, sive sit ille dolor.  
 23 Iudicium facias nostro de carmine, sive  
 24 Thura tegat, vel sint verbula digna legi.  
 25 Quae si iudicio fuerint laudata benigno,  
 26 mordeat o quantum quisque poeta velit.  
 27 Nec pigeat nostris te respondere tabellis,  
 28 sive velis prosa, carmine sive velis.  
 29 Si mihi rescribes, Musas venisse putabo  
 30 Aonio ex fonte et numina sacra novem.  
 31 Indulgere velis nostro, Arretine, furori,  
 32 sive sit ille furor, sive sit ille dolor.  
 33 Quando novi vates ausi sunt tempore prisco  
 34 carmina, Phoebos consulere focos ;  
 35 nunc quaerenda meis non sunt oracla Sibyllae  
 36 versibus et Phoebus despiciendus erit :  
 37 Tu Cumaea mihi, tu Phoebaeque sorores,  
 38 Phoebus eris calamis Calliopeque meis.

## ANGELINETUM AD DIVAM ANGELINAM

A\_2 v.1 Angelina, meo si respondebis amori,  
 2 quanta fuit scribam Piccolomina domus.

3 Cantabo innumeros quos detulit illa triumphos,  
 4 quidve tuos primos nobilitavit avos.  
 5 Obducis frontem ? Rugabunt carmina nervi ?  
 6 Nec meus has segetes dente secabit equus ?  
 7 Saepe boves validi diris lassantur aratris,  
 8 vexat et ingratus fortia corda labos ?  
 9 Cunctos excruciat labor ingratisissimus, acris  
 10 et non grata necat sollicitudo viros.  
 11 Forsitan et titulos describi et gesta tuorum  
 12 contraxere aciem ? Te prius ipse canam !  
 13 Et formam egregiam in primis flavosque capillos  
 14 et frontem atque manus a capite usque pedes,  
 15 sideribus similes oculos, cristallina membra,  
 16 quae variat roseus dulcis odore rubor.  
 17 Mille tuas scribam praeclaro carmine laudes,  
 18 Signa mihi primo si manifesta dabis.

AD ANGELINAM DE LAUDIBUS SUIS

A\_3 v.1 Illaqueat risus dulcissimus Angelinai  
 2 Marrasium ; ejus enim stillat ab ore favus  
 3 Qui si Sardonias favus esset fusus in herbas  
 4 Sardonii Siculis dulcia mella darent.  
 5 Me rapiunt oculi, qui sunt mihi sidera : apertis  
 6 lucent et tenebrae et Tartara opaca vident ;  
 7 per salebras ego tutus eo de nocte timendas,  
 8 Clarus eo in latebras aspera perque juga ;  
 9 non timor est mundo, Phoebo si lumina desunt  
 10 aut si nocturna Cinthia luce caret.  
 11 Quando die nitidis mihi rides, Angela, ocellis,  
 12 Non est splendidior sol neque luna prior.  
 13 Sideribus certant oculi, tua labra rubentes  
 14 corallos superant, alba ligustra genae.  
 15 Est gula lucenti tanto suffusa nitore,  
 16 ut timeam quando nigra Falerna bibis ;  
 17 sanguineos jugulos primo meditatus ad arma  
 18 issem, ni me tunc admonuisset amor.  
 19 Me macerat frons clara, velut quam numen adoro :  
 20 purior est speculo candidiorque nive.  
 21 Quom loqueris, rutilas fundunt tua labra favillas,  
 22 Cinnama praeterea purpureasque rosas.  
 23 Pectora cristallus circumdat, longa hiacintus  
 24 lactea colla tenet, corpora tota nitor.  
 25 Haec mihi desiccant nimio fervore medullas  
 26 et mea dilaniat pectora longa sitis.  
 27 Arripiunt animam medio de corpore nostram  
 28 ista : voluptatis tu mihi prima quies.

AD DIVAM UT EUM CUNCTIS AMATORIBUS ANTEPONAT

A\_4 v.1 Si quis amandus erit vultu facieque serenus,  
 2 Te Ganymedeus debet habere torus ;  
 3 si placet armatus clipeo et fulgentibus armis,  
 4 belligerum Martem splendida forma petat ;

5 Imperio aeternam si vis producere vitam,  
 6 Juppiter ardenti ferveat igne tuo ;  
 7 si moveat mentem tibi copia divitiarum,  
 8 Mida petendus erit, ditior ante alios ;  
 9 si quis amore suo videatur dignus amari,  
 10 Marrasio nullus saucior esse potest.  
 11 Non quaerenda tibi est tantorum gloria regum :  
 12 hi periire duces hique obiere Joves.  
 13 Restat ames qui primus amat, quem multa fatigant  
 14 tela, truci ex arcu missa sagitta tuo.  
 15 Et si forte ducum quos dixi pompa maneret,  
 16 ostendam ut cunctis antelocandus ero.  
 17 Vincit Amor faciem, prosternit tela Cupido,  
 18 vertit et imperium divitiasque premit.  
 19 Victus et Endymion fuit et subjectus Amori  
 20 Mars ferus et vidi cornua ferre Jovem.  
 21 Omnia quom superant et fortia et infima amores,  
 22 et meus est aliis fortior unus amor,  
 23 et Venus et mores et te natura coercet,  
 24 inter amatores primus amator eam.  
 25 Sis veluti Italicis formosior una puellis,  
 26 angela, sic felix sisque benigna mihi.  
 27 Alternum quem jure peto mihi solvere amorem,  
 28 Non mihi contracta tradere fronte velis.

AD IOHANNEM PRATENSEM IURISCONSULTUM. RESPONSIO.

A\_5 v.1 Prate, meum numen, mea lux, mea gaudia, legi,  
 2 prate, tuos versus et placuere nimis.  
 3 Et te divinum possum appellare poetam :  
 4 namque elegos redoles Virgiliosque sapis.  
 5 Est gravior mihi poena, tuis quod privor ocellis  
 6 et quod te careo, quam tibi cura mei.  
 7 Si cupis alternis studiis nos jungere amores,  
 8 ast ego vivamus tempora cuncta simul.  
 9 Nec fidei templum nec te, mea vita, fefelli :  
 10 Marrasius pereat si caret ipse fide.  
 11 Est mea salva fides : "Veniam" dixisse fatebor ;  
 12 quom dixi "Veniam", non sine lege fuit.  
 13 Pollicitus colere et villas et florea rura  
 14 fluminaque et rivos sole calente fui.  
 15 Praeteriere dies, jam jam cecinere cicadae  
 16 et folia arboribus jam cecidere suis.  
 17 Nunc deformis hiems me territat, angit et ipsum  
 18 me prope venturi principium studii.  
 19 Ergo nec advorsum me fundas, Prate, querelas ;  
 20 iratus quom sis, concutit ossa tremor.  
 21 Si veniam, non tecta tui, non alta subibo  
 22 atria, ut haec videam : te magis ipse petam.  
 23 Nec sine te villae, sine te nec rura placerent,  
 24 nec sine te fontes, nec mihi silva placet.  
 25 Quod Petis a superis, ut me Angelina Sicanum  
 26 horreat, ut vultus horreat usque meos,  
 27 istud idem faciam divis et thure Sabaeo,  
 28 ut fugiat vultus Francia bella tuos.

29 Sive velis nolisque etiam, deus annuat, ut, si  
30 illa meos, oculos horreat, illa tuos.

AD DIVAM ANGELINAM

A\_6 v.1 Quid furis, audaci nimium confisa juventa ?  
2 Praecipiti penna curva senecta venit.  
3 Aspice : non semper vestita est terra virenti  
4 gramine, nec semper solibus usta riget,  
5 nec semper rutilos producit terra colores  
6 et niveos pariter purpureasque rosas,  
7 Lilia saepe nitent placido redolentia odore,  
8 saepe gravant ramos dulcia poma suos,  
9 Dulces saepe cibos dat nobis pampinus uvas ;  
10 Non semper fructus quaelibet arbor habet.  
11 Sic te decipiet formosa et blanda juvenus  
12 quae nunc est votis obsequiosa tuis.

AD DIVAM ANGELINAM. EULOGIUM.

A\_7 v.1 Angelina, meos numquam miserata dolores,  
2 respice me : morior ; respice me : morior.  
3 Quid juvat ut validis plangam mea pectora pugnīs  
4 Deque oculis lacrimae fluminis instar eant ?  
5 Me fugis, ut rapidos fugiunt armenta leones,  
6 ut timet horrendos parvula cerva lupos.  
7 Non me lactavit Gaetula in valle leaena,  
8 Non ursae aut tigres barbariaeque pecus.  
9 Quem fugis ? Obscuro non sum de sanguine natus :  
10 Clara habuit genetrix nomina, clara pater.  
11 Gloria magna tibi est perituro parcere amanti ;  
12 cantabunt laudes carmina nostra tuas.  
13 Si mihi nec lacrimae prosunt, nec carmina mille,  
14 nec centum laudes, nec rogitasse deos,  
15 praestat ut emoriar gladio trajectus acuto,  
16 finiat ut lacrimas mors furibunda meas.  
17 Si dii justitiae memores sunt atque nocentum,  
18 nec meus effusus sanguis inultus erit.  
19 Fata velint tales omni des tempore poenas :  
20 tu vehementer ames, impia, nullus amet.  
21 Ascendam fontem medius qui praeminet urbi,  
22 ut videas speculis funera nostra tuis.  
23 Hinc me praecipitem postquam laniaverit ensis,  
24 fons Gaius nostro sanguine plenus erit.  
25 Ejus marmoribus funebria carmina ponam,  
26 saevitia ut cunctis sit manifesta tua :  
27 "Marrasius moriens extremo murmure dixit :  
28 "Me genuit Nothum, me genuere Senae.  
29 Mira quis haec credet, genitum bis tempore nostro  
30 Marrasium Tusca tum Siculaque domo ?  
31 Informes primo Nothum mihi contulit artus  
32 Ossaque cum nervis, cum manibusque pedes.  
33 Bis decies steteram corpus sine pectore : vitam,  
34 Ingenium atque animos Angela sola dedit.

35 Diruit haec eadem quae me construxerat una :  
 36 una meae vitae causa necisque fuit".

AD THOMASIIUM PICCOLOMINUM. EPISTOLA.

A\_8 v.1 Qua caret ex Erebo dicit, Thomasi, salutem  
 2 Marrasius. Foedat quoi mea membra cruor,  
 3 squalida caesaries ubi turpi est sanguine tincta,  
 4 Umbra mei ad Manes tabida movit iter.  
 5 Nudus ad infernas veni quom pallidus umbras,  
 6 nulla Charonte mihi remige cymba datur.  
 7 Illae, ubi me nudum placido caruisse sepulcro  
 8 conspexere, ruunt dilacerantque comas.  
 9 Tunc gemitu plenus fractas emittere voces  
 10 incoepi et tremulo talia verba sono :  
 11 "Ex quo nec superis placuit mea vita nec atris,  
 12 Manibus umbra placet, respuat ossa lapis  
 13 et lanient corpus rabidissima turba leonum,  
 14 Ursa, lupi et tigres oraque cruda canum.  
 15 Crudius in terris monstrum si frendeat ullis  
 16 sive mari, veniat dilanietque caput  
 17 et comedat, vomitet ; si iterumque iterumque peredit,  
 18 irruat ut praiceps ad mea membra vorax.  
 19 O utinam haec videat quae nostrae mortis acerbae  
 20 causa fuit ! Nequeat funera flere volens ! "  
 21 Audi quae patior Stygiis graviora repulsis :  
 22 in caput inque pedes Corsica turba ruit.  
 23 Murmurat hic aliusque fabas cum cortice rodit,  
 24 caepas et porros ructat inepta cohors.  
 25 Bacchus in ore manet, nihil est nisi gloria vinum ;  
 26 Ah madidos inter membra inhumata jacent !  
 27 Mallem terrificos morsus tolerare leonum,  
 28 Corsica quam nostrum frangere verba caput !  
 29 Posthac quid puerique senes juvenesque puellae,  
 30 Qui veniunt haustum pocula dulcis aquae,  
 31 quom me conspiciunt tam dira tabe cruentum,  
 32 horrent et trepidant, nec capit ullus aquas ?  
 33 Angela nec poterit de nocte aperire fenestras,  
 34 nec molles flatus ventus et aura dabit :  
 35 irruet umbra ferox et se noctuque dieque  
 36 vexabit somnus, nec sibi gratus erit.  
 37 Quo circa, ut Stygiam possim transire paludem,  
 38 quod jacet ad fontem corpus humare velis.  
 39 Nulla puella velit me me sepelire jacentem ;  
 40 angela sola velit, si qua puella velit.  
 41 Angela si manibus claudat mea pectora busto,  
 42 Thomasi, requies, tu mihi numen eris.  
 43 Dum vivis, quaecumque voles, quaecumque rogabis,  
 44 illa habeas laetus deliciasque Jovis.  
 45 Et quom maturos aetas compleverit annos,  
 46 caelicolae venient ad tua fata dei :  
 47 marmoreum ad tumulum fundant et balsama, amomum,  
 48 et violae atque rosae molliter ossa premant.

## AD LEONARDUM ARRETINUM

A\_9 v.1 Mos erat antiquis, sua quom trutinare volebant  
2 ingenia, ad doctos saepe coire viros.  
3 Marcum non puduit sapientem audire Catonem  
4 multaque Aristotelem turba secuta fuit,  
5 Te sequor : es toto vates celeberrimus orbe,  
6 orator summus, rhetor in arte prior.  
7 Arretine, fave, te tamquam numen adoro :  
8 namque tibi placidam cessit Apollo liram.  
9 Paeniteat nec te blando legisse libellum  
10 lumine, nec nugas inde dolare meas.  
11 O utinam de te possem componere versus,  
12 quales Virgilius Callimachusque tulit !  
13 Si ad Maecenatem veteres scripsere poetae  
14 carmina, Maecenas carmine dignus erat.  
15 Si sunt grata animo quae scripsi verba, perennis  
16 auspice te vivam tempora multa senex.  
17 Ergo vale, et nugas, postquam limaveris, edam ;  
18 si minus, in cista clausa papyrus erit,  
19 quae cito si tinea non obtundetur iniqua,  
20 vestiet ex chartis pharmacopola piper.